ORDO PRECUM

QUÆ RECITARI POTERUNT

IN

VISITATIONE BASILICARUM

URBIS

ANNO JUBILÆI

EX PSALTERIO, SACRAMENTARIIS, ET ORATIONALIBUS ANTIQUIS DISPOSITUS.

ROMÆ 1825.

APUD FRANCISCUM BOURLIÈ

Superiorum permissu.

Implemini Spiritu Sancto: Loquentes vobismetipsis in Psalmis, et Hymnis, et Canticis spiritualibus, canentes, et psallentes in cordibus vestris Domino.

S. Paulus ad Ephes. 5. v. 18, et 19.

MONITUM
EX S. BERNARDO
IN EPISTOLA
AD EPISCOPUM, CLERUM, ET POPULUM SPIRENSEM.

Considerate quanto ad salvandos vos artificio utitur (Deus), et obstupescite, intuemini pietatis ejus abyssum, et confidite Peccatores. Non vult mortem vestram, sed ut convertamini, et vivatis... Quid est enim, nisi exquisita prorsus, et inventibilis soli Deo occasio salvationis, quod homicidas, raptores, adulteros, perjuros, caeterisque obligatos criminibus quasi gentem, quae justitiam fecerit de servitio suo submovere dignatur Omnipotens? Nolite diffidere peccatores, benigni est Dominus. Si vellet punire vos, servitium vestrum non modo non expeteret, sed nec susciperet quidem oblatum. Iterum dico, pensate divitias bonita-

tis Dei Altissimi, consilium miserationis attendite, necessitatem se habere aut facit, aut simulat, dum vestris cupit necessitatibus subvenire . . . . Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam uber indulgentiae tempus, quam invenit superstitem annus iste placabilis Domino, et vere Jubilaeus. Diffunditur enim haec benedictio in universum Mundum, et ad signum vitae certatim convolant universi.

BASILICARUM URBIS

ENCOMIUM.

OMnis, qui celsa scandit coenacula vulgus,
Quique terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,
Aut VATICANO tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet Genitoris amabilis obses,
Coetibus, aut magnis LATERANAS currit ad aedes,
Unde sacrum referat regali chrismate signum.
Et dubitamus adhuc Romam tibi, Christe, dicatam
In leges transisse tuas?

Aurel. Prudentius contra Symmachum lib. priori.

DE SEPULCHRO

PRINCIPIS APOSTOLORUM

IN VATICANO.

HOC sepulchrum sub Altari collocatum, valde rarum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulchrum: et sic fenestella parvula patefacta, immisso introrsum capite, quae necessitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantum justa proferatur oratio. Quod si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentana pensatum jacit intrinsecus, deinde vigilans ac jejunans, devotissime deprecatur, ut devotioni suae virtus Apostolica suffragetur. Mirum dictu, si fides hominis prævaluerit, a tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam prius pensaverat, ponderaret: et tunc scit qui levaverit cum gratia sumpsisse quod petiit.

(1) S.Greg. Turonen. *de Gloria Mart.* c. 28.

ORDO PRECUM

IN VISITATIONE

BASILICARUM URBIS

ANNO JUBILAEI.

Visituri Basilicam Principis Apostolorum signabunt se signo Crucis, et dicent Orationem.

ORATIO.

UT tibi, Domine, in sanctitate, et justitia servire gaudeamus expulsis, quæsumus, de cordibus nostris peccatorum tenebris, et umbra mortis; pedes nostros in viam pacis propitius dirige, et ab omnibus iniquitatum scandalis indesinenter custodi. Per Dominum nostrum, etc.(1)

Mox per iter meditando recitabunt

PSALMUS 118.

BEati immaculati in via:* qui ambulant in lege Domini.

Beati qui scrutantur testimonia

(1) Ex Codice Chisiano Sæculi XI. apud B. Thomasium post Cant. *Benedictus*.

ejus :* in toto corde exquirunt eum.

Non enim,qui operantur iniquitatem,* in viis ejus ambulaverunt.

Tu mandasti * mandata tua custodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ,* ad custodiendas justificationes tuas.

Tunc non confundar, * cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis,* in eo quod didici judicia justitiæ tuæ:

Justificationes tuas custodiam : * non me derelinquas usquequaque.

In quo corrigit adolescentior viam suam ? * in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisivi te : * ne repellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua : * ut non peccem tibi.

Benedictus es Domine, * doce me justificationes tuas.

In labiis meis,*pronuntiavi omnia judicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, * sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis exercebor : * et considerabo vias tuas.

In justificationibus tuis meditabor :* non obliviscar sermones tuos.

Retribue servo tuo, vivifica me:* et custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos:* et considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra :* non abscondas a me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, * in omni tempore.

Increpasti superbos : * maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Aufer a me opprobrium, et contemptum : * quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur :* servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Nam et testimonia tua meditatio mea est :* et consilium meum justificationes tuæ.

Adhæsit pavimento anima mea :* vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enuntiavi, et exaudisti me:* doce me justificationes tuas.

Viam justificationum tuarum instrue me:* et exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea præ tædio:* confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove a me:* et de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi:* judicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimoniis tuis Domine:* noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri:* cum dilatasti cor meum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto:* sicut erat in principio, et nunc, et semper, in sæcula sæculorum. Amen (1).

ORATIO.

AB iniquitatis via remove, Domine, gressus nostros, et in itinere mandatorum tuorum statue cursum

(1) Non desunt qui existimant hunc Psalmum compositum fuisse, ut Populus Judaicus haberet, in quo pie, et cum fructu in itinere, dum ter in anno ad Tabernaculum a-

nostrum; animam igitur pavimento inhærentem, remedio salutifero subleva; tuisque justificationibus edoctam, potentia verbi tui vivifica. Per misericordiam tuam Deus noster: qui es benedictus et vivis, et omnia regis in sæcula sæculorum. Amen. (1)

PSALMUS.

Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum :* et exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam :* et custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum :* quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua :* et non in avaritiam.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem :* in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum,* in timore tuo.

scenderet, occuparetur. Certe post hunc eumdem Psalmum sequuntur Graduales, qui in ascensione graduum Templi canebantur.

(1) Ex Breviar. Mozarab. apud Thomasium.

Amputa opprobrium meum,quod suspicatus sum :* quia judicia tua jucunda.
Ecce concupivi mandata tua :* in æquitate tua vivifica me.
Et veniat super me misericordia tua Domine :* salutare tuum secundum eloquium tuum.
Et respondebo exprobrantibus mihi verbum :* quia speravi in sermonibus tuis.
Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque :* quia in judiciis tuis supersperavi.
Et custodiam legem tuam semper* in sæculum, et in sæculum sæculi.
Et ambulabam in latitudine:*quia mandata tua exquisivi.
Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum :* et non confundebar.
Et meditabar in mandatis tuis :* quæ dilexi.
Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi :* et exercebar in justificationibus tuis.
Memor esto verbi tui servo tuo,* in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humilitate mea :* quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi inique agebant usquequaque:* a lege autem tua non declinavi.

Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine:* et consolatus sum.

Defectio tenuit me,* pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, * in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui, Domine :* et custodivi legem tuam.

Hæc facta est mihi :* quia justificationes tuas exquisivi.

Portio mea, Domine,* dixi custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo : * miserere mei secundum eloquium tuum.

Cogitavi vias meas : * et converti pedes meos in testimonia tua.

Paratus sum, et non sum turbatus : * ut custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me : * et legem tuam non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi:* super judicia justificationis tuæ.

Particeps ego sum omnium timentium te:* et custodientium mandata tua.

Misericordia tua Domine plena est terra:* justificationes tuas doce me.

Gloria Patri, etc.

ORATIO.

DEus, qui mandata tua servantibus, portionem te esse voluisti; præsta, ut, ne peccatorum funibus implicemur; justificationum tuarum vinculis illigemur. Per Dominum nostrum etc. (1).

PSALMUS.

BOnitatem fecisti cum servo tuo, Domine, * secundum verbum tuum.

Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me: * quia mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer, ego deliqui: * propterea eloquium tuum custodivi.

(1) Apud Thomasium,

Bonus est tu, * et in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum: * ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum: * ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me: * ut discam justificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super millia auri et argenti.

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me: * da mihi intellectum, et discam mandata tua.

Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur: * quia in verba tua supersperavi.

Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua: * et in veritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua, ut consoletur me, * secundum eloquium tuum servo tuo.

Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam: * quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me :* ego autem exercebor in mandatis tuis.

Convertantur mihi timentes te:*et qui noverunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, * ut non confundar.

Defecit in salutare tuum anima mea : * et in verbum tuum supersperavi.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum,* dicentes : quando consolaberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruina : * justificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies servi tui :* quando facies de persequentibus me judicium?

Narraverunt mihi iniqui fabulationes: * sed non ut lex tua.

Omnia mandata tua veritas:* inique persecuti sunt me, adjuva me.

Paulo minus consummaverunt me in terra : * ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam vivifica me :* et custodiam testimonia oris tui.

In æternum Domine, * verbum tuum permanet in cælo.

In generationem, et generationem veritas tua : * fundasti terram, et permanet.

Ordinatione tua perseverat dies :* quoniam omnia serviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est: * tunc fortè periissem in humilitate mea.

In æternum non obliviscar justificationes tuas :* quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac : * quoniam justificationes tuas exquisivi.

Me expectaverunt peccatores, ut perderent me,* testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem,* latum mandatum tuum nimis.

Gloria Patri, etc.

Oratio.

DEus cujus in cælo veritas manet et verbum; lux perseverat et dies; fac nos in tuo servitio jugiter permanere: ut filii lucis esse mereamur. Per Dominum etc. (1)

IN ATRIO EJUSDEM BASILICAE

DICATUR

Psalmus 99.

JUbilate Deo omnis terra, * servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus: * in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus, et oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione: * atria ejus in hymnis confitemini illi.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus in æternum misericordia ejus, * et usque in genera-

(1) Apud Thomasium.

tionem, et generationem veritas ejus.
Gloria Patri etc.

℣. Hæc dies, quam fecit Dominus.
℟. Exultemus, et lætemur in ea.
℣. Beatus populus tuus Domine.
℟. Qui fecit jubilationem.
℣. Hæc est Porta Domini.
℟. Justi intrabunt in eam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Deus, qui per Moysem famulum tuum Populo Israelitico Annum Jubilæi, et remissionis instituisti, concede propitius nobis famulis tuis, Jubilæi Annum hunc tua auctoritate institutum, quo Portam hanc Populo tuo ad preces tuæ Majestati porrigendas ingredienti solemniter aperire voluisti, feliciter inchoare, ut in eo venia, atque indulgentia plenæ remissionis omnium delictorum obtenta, cum dies nostræ vocationis advenerit, ad cælestem gloriam perfruendam tuæ misericordiæ

munere perducamur. Per Dominum etc. (1).

VIA Sanctorum omnium, Jesu Christe, qui ad te venientibus claritatis gaudium contulisti, introitum Templi istius Spiritus Sancti luce perfunde: qui locum istum Sanctorum tuorum Martyrum nomine, vel sanguine consecrasti: præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, omnes isti intercedentes, obtineant veniam pro delictis, ab omnibus liberentur angustiis, impetrent quidquid petierint pro necessitatibus suis, placere semper prævaleant coram oculis tuis: quatenus per Te, et per Sanctum Petrum militem tuum mereamur aulam Paradisi introire. Per Dominum nostrum etc. (2).

Ad Aquam benedictam.

Antiph. Asperges me hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.

(1) Ex Cæremoniali S. R. C. servando in aperitione Portæ Sanctæ.

(2) Ex Missa veteri Codicis Ratoldi Abb. Corbejensis apud Hugonem Menardum.

PSALMUS 50.

MIserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea :* et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco :* et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : * ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : * incerta, et occulta sapientiæ tuæ manifestati mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor : * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, et lætitiam : * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis:* et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui:* et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas:* et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies :* et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: * ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justi-

tiae oblationes, et holocausta :* tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, etc.

ORATIO

PRofluae miserationis ineffabile nomen Trinitas Deus ; qui humani pectoris antrum emundans vitiis super candorem efficis nivis ; innova, quæsumus, in visceribus nostris Spiritum sanctum tuum ; quo laudem tuam adnunciare possimus : ut, recto principalique spiritu confirmati, mereamur aeternis sedibus in Jerusalem caelesti componi. Per Dominum nostrum etc. (1)

Ad Altare Sanctissimi Sacramenti.

Symbolum Apost. Credo. Pater noster. Ave Maria. Gloria Patri etc.

HYMNUS.

PAnge, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in Mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium,
Nobis datus, nobis natus

(1) Ex Cod. MS. Vaticano apud Thomasium.

Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.
In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.
Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitque Sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Præstet Fides supplementum
Sensuum defectui,
Genitori, Genitoque
Laus, et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio:

Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

℟. Amen.

Antiph. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur: recolitur memoria Passionis ejus: mens impletur gratia; et futuræ gloriæ nobis pignus datur.

℣. Panem de Cœlo præstitisti eis.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

ORATIO.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili, Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus.

DEus omnium fidelium Pastor, et Rector, famulum tuum N., quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei, quæsumus, verbo et exemplo, quibus præest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur, et regitur: exaudi nos pro universis Ordinibus supplicantes: ut, gratiæ tuæ munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiæ tuæ: ut Ecclesia tua, toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret.

Deus regnorum omnium, rerumque dominator, qui nos et percutiendo sanas, et ignoscendo conservas: prætende nobis misericordiam tuam; ut tranquillitate pacis, tua potestate servata, ad remedia correctionis utamur.

Omnipotens sempiterne Deus, moestorum consolatio, laborantium fortitudo: perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium: ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant affuisse.

OMnipotens sempiterne Deus, qui omnes salvas, et neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas; ut omni hæretica pravitate repulsa, errantium corda resipiscant; et ad veritatis tuae redeant unitatem. Per Dnum etc. (1)

Ad Altare B.M.V.

HYMNUS.

MEmento rerum conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Maria Mater gratiæ,
Dulcis Parens clementiae,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sœcula. Amen.

Antiph. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro Populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmi-

(1) Fx Sacrament. S.R.C. apud Thomasium, et ex Missali Romano.

neo sexu : sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui terrenis corporibus veritatem verbi tui per venerabilem Mariam conjungi voluisti, petimus immensam clementiam tuam, ut quod in ejus veneratione deposcimus, te propitiante, mereamur consequi. Per Dominum etc. (1)

Ad Altare Confessionis S. Petri.

Lectio Epistolæ 1. S. Petri Apost.

Cap. 4.

CHristo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini : quia, qui passus est in carne, desiit a peccatis : ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. Sufficit enim præteritum tem-

(1) Ex Sacramentario Gallicano.

pus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinòlentiis, comessationibus, potationibus, et illicitis Idolorum cultibus. In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes. Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos. Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est: ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu. Omnium autem finis appropinquavit: Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus, etc.

Hymnus.

Beate Pastor Petre clemens accipe
Voces precantum, criminumque vincula
Verbo resolve, cui potestas tradita,
Aperire terris cœlum, apertum claudere.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio
In unitate, quæ gubernat omnia,

Per universa æternitatis sœcula :
Amen. (1)

Antiph. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis : et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cælis : dicit Dominus Simoni Petro.

℣. Tu es Petrus.

℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

ORATIO.

DEus refugium pauperum, spes humilium, salusque miserorum, interveniente pro nobis Beatissimo Fundatore Ecclesiæ tuæ Petro, supplicationes supplicum tuorum clementer exaudi, et tranquillitatem a vitiis pariter, et hostibus nostris concede temporibus, ut quos justitia flagellorum tuorum juste facere potest esse obstrictos, abundantia misericordiæ tuæ, Beato Petro obtinente, faciat consolatos. Per Dñum, etc. (2)

(1) Ex Hymno Elpidis uxoris Severini Boetii.

(2) Ex Missali Gothico apud Mabillonium.

Oratio.

Ante oculos tuos, Domine, culpas ferimus, et plagas, quas accepimus, conferimus.

Si pensamus malum quod fecimus, minus est quod patimur, majus est quod meremur.

Gravius est quod commisimus, levius est quod toleramus.

Peccati pœnam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, et iniquitas non mutatur.

Mens ægra torquetur, et cervix non flectitur.

Vita in dolore suspirat, et in opere non se emendat.

Si expectas, non corrigimur; si vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione quod egimus: obliviscimur post visitationem quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias, clamamus ut parcas: si

peperceris, iterum provocamus, ut ferias.

Habes Domine confitentes reos: novimus quod nisi dimittas, recte nos perimas.

Præsta Pater omnipotens sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum. Amen. (1)

℣. Gregem tuum Pastor æterne non deseras.

℟. Sed per beatos Apostolos tuos perpetua defensione custodias.

℣. Protege Domine populum tuum ad te clamantem, et Apostolorum tuorum patrocinio confidentem.

℟. Perpetua defensione custodias.

℣. Orate pro nobis sancti Apostoli Dei.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas

(1) Ex Sacramentario Gallicano apud Mabillon. tom. 2. Musei Italici, prout edita est ab Urbano VIII.

perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti. Per Dominum, etc.

IMploret, clementissime Domine, nostris opportunam necessitatibus opem devote a nobis prolata meditatio, qua Sanctus olim Joannes Chrysostomus, in hac Basilica conditus, te cum Beatissimis Apostolis Petro, et Paulo repræsentavit, sic colloquentem: circumdate hanc novam Sion, et circumvallate eam: hoc est, custodite, munite, precibus firmate, ut quando irascor in tempore, et orbem terræ concutio, aspiciens sepulcrum vestrum numquam desiturum, et quae libenter propter me geritis stigmata, iram misericordia vincam, et ob hanc percipiam vestram intercessionem. Etenim quando Sacerdotium, et Regnum video lacrymari, statim quasi compatiens ad commiserationem flector, et illius meæ vocis reminiscor: protegam Urbem hanc propter David servum meum, et Aaron sanctum meum. Domine: fiat, fiat: Amen. Amen.

Ad Altare S. Michaelis Archangeli, si libuerit.

HYMNUS.

MYsteriorum signifer
Cælestium, Archangele,
Te supplicantes, quæsumus,
Ut nos placatus visites.
Ipse cum Sanctis Angelis,
cum Justis, cum Apostolis,
Inlustra locum jugiter,
Quo nunc orantes degimus.
Gloria tibi Domine,
Gloria Unigenito
Una cum Spiritu Sancto,
In sempiterna sæcula. Amen. (1)

Antiph. Princeps Glorosissime Michael Archangele, esto memor nostri: hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

ORATIO.

FAC nos, quæsumus Domine, Beati Archangeli tui Michaelis inter-

(1) Ex Hymno Ambrosiano apud Thomasium.

cessione, illius beatitudinis cœlestis esse participes, de qua ipse per tuam potentiam antiquum hostem dejecit. Per Dominum (1)

Ad Reliquias Sanctorum, quæ asservantur in hac Basilica.

Antiph. Sancti, et Sanctæ Dei omnes intercedere dignemini pro nostra, omniumque salute.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

ORATIO.

DEus, qui hanc Sacrosanctam Basilicam innumeris voluisti Sanctorum decorari Reliquiis; concede nobis famulis tuis, ut quorum memoriam veneramur in terris, eorum consortio perfruamur in cœlis. Per Dominum, ect.

In egressu Basilicæ dicatur Canticum trium Puerorum.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: * laudate, et superexaltate eum in sæcula.

(1) Ex Codice sæcul. XI. Basilicæ Liberianæ apud Thomasium.

Benedicite Angeli Domini Domino: * benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol, et luna Domino:* benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber, et ros Domino:* benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis, et æstus Domino:* benedicite frigus, et æstus Domino.

Benedicite rores, et pruina Domino:* benedicite gelu, et frigus Domino.

Benedicite glacies, et nives Domino: * benedicite noctes, et dies Domino.

Benedicite lux, et tenebræ Domino: * benedicite fulgura, et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet, et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes, et colles Domino: * benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: * bene-

dicite maria, et flumina Domino.
Benedicite cete, et omnia, quæ moventur in aquis Domino: * benedicite omnes volucres cœli Domino.
Benedicite omnes bestiæ, et pecora Domino: * benedicite filii hominum Domino.
Benedicat Israel Dominum: * laudet, et superexaltet eum in sœcula.
Benedicite sacerdotes Domini Domino: * benedicite servi Domini Domino.
Benedicite spiritus, et animæ justorum Domino: * benedicite sancti, et humiles corde Domino.
Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: * laudate, et superexaltate eum in sœcula.
Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu: * laudemus, et superexaltemus eum in sœcula.
Benedictus es Domine in firmamento cæli: * et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sœcula.

ORATIO.

DEus, a quo cuncta creata benedici desiderant, et ipse nullius

horum indiges benedictione, suscipe propitius nostri pectoris hymnum, et concede, ut liberati a morte perpetua, quandoque te in Paradisi beatitudine cum Sanctis omnibus sine fine glorificemus. Qui trinus, et unus Deus vivis etc. (1)

BASILICAE S. PAULI
AD VIAM OSTIENSEM
ENCOMIUM.

Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis.
Qua stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est, Princeps bonus has sacravit arces,
Clausitque magnis ambitum talentis,
Bracteolas trabibus sublevit, ut omnia aurulenta
Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.
Subdidit et parias fulvis laquearibus columnas;

(1) Ex Codice Chisiano soeculi XI. apud Thomasium.

Distinguit illic quas quaternus
ordo :
Tum camyros hyalo insigni varie
cucurrit arcus ,
Sic prata vernis floribus reni-
dent etc. (1)

Visitaturi Basilicam Sancti Pauli dicant per iter.

Psalmus .

Quomodo dilexi legem tuam Domine ? * tota die meditatio mea est .

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo :* quia in æternum mihi est .

Super omnes docentes me intellexi : * quia testimonia tua meditatio mea est .

Super senes intellexi : * quia mandata tua quæsivi .

Ab omni via mala prohibui pedes meos : * ut custodiam verba tua .

A judiciis tuis non declinavi : * quia tu legem posuisti mihi .

Quoniam dulcia faucibus meis

(1) Ex Aurelio Prudentio Hymno de Passione Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli.

eloquia tua * super mel ori meo !

A mandatis tuis intellexi : * propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum ,* et lumen semitis meis.

Juravi , et statui :* custodire judicia justitiæ tuæ .

Humiliatus sum usquequaque,Domine : * vivifica me secundum verbum tuum .

Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine , * et judicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper : * et legem tuam non sum oblitus .

Posuerunt peccatores laqueum mihi : * et de mandatis tuis non erravi .

Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum : * quia exultatio cordis mei sunt .

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum , * propter retributionem .

Iniquos odio habui : * et legem tuam dilexi.

Adjutor et susceptor meus es tu :* et in verbum tuum supersperavi.

Declinate à me maligni ;* et scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam : * et non confundas me ab expectatione mea.

Adjuva me, et salvus ero : * et meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis : * quia injusta cogitatio eorum.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : * ideo dilexi testimonia tua.

Configc timore tuo carnes meas :* a judiciis enim tuis timui.

Feci judicium, et justitiam :* non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum : * non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum : * et in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundum mi-

sericordiam tuam :* et justificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego :* da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Tempus faciendi Domine :* dissipaverunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua, * super aurum, et topazion

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar :* omnem viam iniquam odio habui.

Gloria Patri etc.

ORATIO.

DOce nos, Domine, judicium et justitiam facere, ut non tradamur adversis, nec calumniantibus subdamur iniquis; sed eloquia tua intentis mentibus diligentes ab omnibus malignis eripiamur insidiis. Per Dominum etc. (1)

PSALMUS.

MIrabilia testimonia tua ;* ideo scrutata est ea anima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat :* et intellectum dat parvulis.

(1) Ex Codice Vaticano apud Thomasium.

Os meum aperui, et attraxi spiritum : * quia mandata tua desiderabam.

Aspice in me , et miserere mei , * secuudum judicium diligentium nomen tuum .

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum:*et non dominetur mei omnis injustitia .

Redime me a calumniis hominum : * ut custodiam mandata tua :

Faciem tuam illumina super servum tuum , * et doce me justificationes tuas .

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei : * quia non custodierunt legem tuam .

Justus es, Domine:*et rectum judicium tuum .

Mandasti justitiam testimonia tua : * et veritatem tuam nimis .

Tabescere me fecit zelus meus : * quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer : * et servus tuus dilexit illud .

Adolescentulus sum ego , et con-

temptus: * justificationes tuas non sum oblitus.

Justitia tua, justitia in æternum :* et lex tua veritas.

Tribulatio et angustia invenerunt me:* mandata tua meditatio mea est.

Æquitas testimonia tua in æternum:*intellectum da mihi, et vivam.

Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine; * justificationes tuas requiram.

Clamavi ad te, salvum me fac: * ut custodiam mandata tua.

Præveni in maturitate, et clamavi: * quia in verba tua supersperavi.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine: * et secundum judicium tuum vivifica me.

Appropinquaverunt persequentes me iniquitati: * a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu Domine: * et omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognovi de testimoniis tuis; * quia in æternum fundasti ea.

Gloria Patri, etc.

ORATIO.

VOcem nostram exaudi, Domine, secundum multam misericordiam tuam, ne in judicio nos condemnes ut reos, sed pius ac misericors remuneres ut beatos. Per Dominum etc. (1)

PSALMUS.

VIde humilitatem meam; et eripe me: * quia legem tuam non sum oblitus.

Judica judicium meum, et redime me: * propter eloquium tuum vivifica me.

Longe a peccatoribus salus:* quia justificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multæ, Domine,* secundum judicium tuum vivifica me.

Multi qui persequuntur me, et tribulant me: * a testimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricantes, et tabescebam: * quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dile-

(1) Ex eodem.

xi, Domine :* in misericordia tua vivifica me.

Principium verborum tuorum veritas, * in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

Principes persecuti sunt me gratis : * et a verbis tuis formidavit cor meum.

Lætabor ego super eloquia tua : * sicut qui invènit spolia multa.

Iniquitatem odio habui, et abominatus sum : * legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi, * super judicia justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam : * et non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum, Domine : * et mandata tua dilexi.

Custodivit anima mea testimonia tua : * et dilexit ea vehementer.

Servavi mandata tua, et testimonia tua : * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine : * juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo :* secundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum,* cum docueris me justificationes tuas.

Pronunciabit lingua mea eloquium tuum : * quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me : * quoniam mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuum Domine :* et lex tua meditatio mea est.

Vivet anima mea, et laudabit te:* et judicia tua adjuvabunt me.

Erravi sicut ovis, quæ periit : * quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Gloria Patri, etc.

Oratio.

INtroeat, Domine, oratio nostra in conspectu majestatis tuæ : et sicut nos ab erroribus pristinis ut oves perditas revocasti; ita fac, ut justificationum tuarum edocti præconio, mereamur ad plenam pietatis tuæ

gratiam pervenire. Per Dominum nostrum etc. (1)

IN ATRIO EJUSDEM BASILICAE.

DICATUR

Psalmus 117.

Confitemini Domino quoniam bonus: * quoniam in sœculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israel: quoniam bonus: * quoniam in sœculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: * quoniam in sœculum misericordia ejus.

Dicant nunc qui timent Dominum: * quoniam in sœculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum: * et exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: * non timebo quid faciat mihi homo.

(1) Ex eodem.

Dominus mihi adjutor :* et ego despiciam inimicos meos.
Bonum est confidere in Domino,* quam confidere in homine.
Bonum est sperare in Domino,* quam sperare in principibus.
Omnes Gentes circuierunt me:* et in nomine Domini quia ultus sum in eos.
Circumdantes circumdederunt me:* et in nomine Domini quia ultus sum in eos.
Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis: * et in nomine Domini quia ultus sum in eos.
Impulsus eversus sum, ut caderem: * et Dominus suscepit me.
Fortitudo mea, et laus mea Dominus:* et factus est mihi in salutem.
Vox exultationis, et salutis: * in tabernaculis justorum.
Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me:* dextera Domini fecit virtutem.
Non moriar, sed vivam: * et narrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus:* et morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: * hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: * et factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes: * hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud:* et est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dominus: * exultemus, et lætemur in ea.

O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare: * benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: * Deus Dominus, et illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis * usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu; et confitebor tibi: * Deus meus es tu; et exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti

me : * et factus es mihi in salutem .

Confitemini Domino quoniam bonus : * quoniam in sœculum misericordia ejus .

Gloria Patri , etc.

ORATIO .

Consolatio tribulationum nostrarum, piissime Domine, qui justorum tabernacula lætitia et exultatione perfundis, exalta Ecclesiam tuam virtute potentiæ dexteræ tuæ , quo fiat porta justitiæ ; et ita se angulari stabilitate connectat, ut tua resurrectione clarificata refulgeat , qui cum Deo Patre , et Spiritu Sancto vivis , et regnas in sœcula sœculorum . Amen (1) .

Ad Aquam benedictam .

Antiph. Asperges . *Psalm.* Miserere etc., *ut supra pag.*21. , *et seqq.*

ORATIO .

Averte faciem tuam a peccatis nostris, Dñe, et omnes iniquitates nostras dele : remove ab oculis tuis malarum nostrarum facinus voluptatum , nostræque confessioni clemen-

(1) Ex eodem .

ter tuum appone auditum: miserere, quæsumus, rogantibus nobis, qui propitius respicis in adversis, et qui desperatis cor pœnitens tribuis, confessionibus nostris gloriæ tuæ præsta subsidium, sed quia Publicanus a longe stans, et percutiens pectus suum sola confessione purgatus est; similiter et nos peccatores exaudi, ut sicut illi meritos petitionis suæ fructus donasti, ita et nobis supplicantibus indignis servis tuis veniam digneris impendere peccatis. Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sœcula sœculorum. Amen (1).

ORATIO.

Ante oculos tuos, Domine, reus conscientiæ testis, assisto; rogare non audeo, quod impetrare non mereor. Tu enim scis, Domine, omnia, quæ aguntur in nobis; erubescimus confiteri, quod non timemus admittere; verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, et quod velle nos

(1) Ex Breviario Mozarab. apud Thomasium.

dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce confitentibus, ignosce peccantibus, miserere te rogantibus: et quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, et apud te peccatores non habent verba sine crimine, præsta Domine, ut si ex nobis indignis, et peccatoribus duri cordis verba non suscipis, per temetipsum nobis gratis veniam largiaris. Qui vivis, etc. (1)

Ad Altare Sanctissimi Sacramenti.

Symbolum Apost. Credo. Pater noster. Ave Maria. Gloria Patri. Pange lingua; *cum sua Antiphona, et Orationibus etc., ut supra pag. 23., et seqq.*

Ad Altare Confessionis.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Hebræos. *Cap.4.*

Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Vivus est enim sermo Dei, et efficax,

(1) Ex Codice Casinensi Soeculi XI. apud Præsulem Stephanum Borgia tunc S. Cong. de Propaganda Fide a Secretis.

et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspestu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. Habentes ergo Pontificem Magnum, qui penetravit cœlos Jesum Christum Filium Dei: teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

HYMNUS.

EGregie Doctor Paule mores instrue
Et nostra tecum pectora in cœlum trahe:
Velata dum meridiem cernat Fides

Et solis instar sola regnet charitas.

Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio
In unitate, quæ gubernat omnia.
Per universa æternitatis sœcula.
Amen (1).

Antiph. Sancte Paule Apostole, bone minister, sanator infirmorum accepisti coronam; ora et precare pro nobis Christum, ut salvet animas nostras per multitudinem clementiæ nominis sui sancti (2).

℣. Tu es vas electionis Sancte Paule Apostole.

℟. Prædicator veritatis in universo mundo.

Oratio.

Exaudi Domine, quæsumus, gemitum nostrum, et intercedente B. Paulo Magistro nostro, ac Doctore, quæsumus, ne apud te plus valeat offensio delinquentium, quam

(1) Ex Hymno Elpidis uxoris Severin. Boetii.

(2) Ex Liturgia Æthiopum apud Renaudotium.

miseratio tua semper indulta fletibus supplicantium.

Per Dominum, etc. (1)

ALIA ORATIO.

DOmine scientiæ, et sapientiæ largitor, qui ea revelas, quæ profundis tenebris abscondita sunt; qui potestate magna rationem hominibus indidisti; qui bonitate tua vocasti Paulum, cum fuisset aliquando persecutor, ut esset vas electum, et in eo complacuisti, ut fieret Apostolus, annunciator, ac prædicator Evangelii regni tui, Jesu Christe, Deus noster. Te nunc etiam bone, et hominum amator deprecamur, ut des nobis, et omni populo tuo mentem ab omni distractione liberam, intellectumque purum, ut discamus, et intelligamus quanta sit utilitas Doctrinæ tuæ sanctæ, quæ ad nos illius ministerio pervènit. Et quemadmodum similis tibi fuit, o Auctor vitæ, ita nos pariter dignos effice, ut in opere, et Fide similes illi simus, glorificemusque nomen tuum sanctum, glorie-

(1) Ex Missali Gothico apud Mabillonium.

murque in Cruce tua omni tempore. Tuque es, cui honorem, gloriam, potentiam, et adorationem referimus cum Patre tuo bono, et Spiritu sancto nunc et semper, et usque in sœcula sœculorum. Amen (1).

Ad Altare Sanctissimi Crucifixi, si libuerit.

PSALMUS 21.

DEus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies, * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt:* in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non

(1) Ex Liturgia Cophticarum S. Basilio tributa apud Renaudotium.

homo : * opprobrium hominum , et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me :* locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum:* salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre : * spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu : * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est:* quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi:* tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum,*sicut leo rapiens, et rugiens.

Sicut aqua effusus sum:*et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis:*

et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi :* concilium malignantium obsedit me .

Foderunt manus meas , et pedes meos : * dinumeraverunt omnia ossa mea .

Ipsi vero consideraverunt , et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea , et super vestem meam miserunt sortem .

Tu autem Domine , ne elongaveris auxilium tuum a me :* ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus animam meam:*et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis:*et a cornibus unicornium humilitatem meam .

Narrabo nomen tuum fratribus meis:* in medio Ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum , laudate eum : * universum semen Jacob glorificate eum .

Timeat eum omne semen Israel:* quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me:*

et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna:* vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in sœculum sœculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum * universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus * universæ familiæ Gentium.

Quoniam Domini est regnum :* et ipse dominabitur Gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ;* in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet :* et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura:* et annuntiabunt cœli justitiam ejus, populo qui nascetur, quem fecit Dñus (1). Gloria Patri, etc.

(1) Prophetia de Passionibus Christi, et vocatione Gentium. *Euseb. Caesar.*

ORATIO.

CHriste, qui de patibulo ad Patrem, ut quid te dereliquerit adclamasti; qui cruce tua hominem peccato perditum redemisti, illumque peccati auctorem æternis arsurum ignibus tradidisti; postulamus sanctam clementiam tuam, ut nos, qui in te credimus, numquam derelinquas; nec confidentiam nostram a tua Deitate repellas; sed per diem clamorem nostrum suscipe; et in nocte placito tibi famulatu servire concede; semperque corda nostra in amorem tui flagrantia spirituali succende, et gratiam tuam, quam peccando amisimus, convertendo restitue. Per misericordiam tuam, etc. (1)

ALIA ORATIO.

CHriste, qui propter incredulitatem relinquens Populum Synagogæ, innumeram tibi plebem Ecclesiæ ex omnibus generibus ampliasti: imple, quod prophetali vaticinio

(1) Ex Breviario Mozarab. apud Thomasium.

prædixisti, ut reminiscantur, et convertantur ad te Deum universi fines terræ; adorentque te omnes Patriæ gentium; qui solus salvasti utique mundum; suscita ergo tibi filios credulitatis ex Circumcisione, et Præputio venientes, ut et quot veniunt, provehantur ad Fidei regnum: et quot venerunt, vel venerint, nullis meritorum sordibus a tua hæreditate priventur. Per misericordiam tuam, etc.(1)

Ad Reliquias Sanctorum.

Antiph. Sancti etc. ℣. ℟. *Oratio* Deus, etc. *ut supra pag.* 35.

In egressu Basilicae dicatur Canticum Annae.

1. Reg. 2.

EXultavit cor meum in Domino,* et exaltatum est cornu meum in Deo meo.

Dilatatum est os meum super inimicos meos: * quia lætata sum in salutari tuo.

Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te: * et

(1) Ex eodem.

non est fortis sicut Deus noster.

Nolite multiplicare loqui sublimia,* gloriantes.

Recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum Dominus est,* et ipsi præparantur cogitationes.

Arcus fortium superatus est:* et infirmi accincti sunt robore.

Repleti prius, pro panibus se locaverunt:* et famelici saturati sunt.

Donec sterilis peperit plurimos:* et quæ multos habebat filios, infirmata est.

Dominus mortificat, et vivificat,* deducit ad inferos, et reducit:

Dominus pauperem facit, et ditat,* humiliat et sublevat.

Suscitat de pulvere egenum,* et de stercore elevat pauperem.

Ut sedeat cum principibus,* et solium gloriæ teneat.

Domini enim sunt cardines terræ,* et posuit super eos orbem.

Pedes Sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent:* quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

Dominum formidabunt adversarii ejus :* et super ipsos in cœlis tonabit.

Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium Regi suo, * et sublimabit cornu Christi sui (1).

Gloria Patri, etc.

ORATIO.

Deus, cujus judicio Sinagogæ fœcunditas infirmata est, et Ecclesiæ sterilitas fœcundata; nostræ mentis sterilitatem tua ubertate fœcunda, ut tibi bonorum operum fructus parere non omittamus. Per Dominum etc. (2)

In Coemeterio prope Basilicam.

PSALMUS 129.

De profundis clamavi ad te, Domine:* Domine exaudi vocem meam.

(1) Canticum istud juxta allegoricum sensum gratulatio est Ecclesiæ Gentium a sterilitatis opprobrio, et insultatione Synagogæ veteris jam liberatæ. *Cornel Gandaven.* Congruit Basilicæ Doctoris Gentium.

(2) Ex Codice Chisiano Soec. XI. apud Thomasium.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine :* Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est : * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus:*speravit anima mea inDomino.

A custodia matutina usque ad noctem,* speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia,*et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam dona eis Domine :* et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, omnibus-

hic in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut, a cunctis reatibus absoluti, sine fine lætentur (1).

Alia Oratio.

ADesto, quæsumus, Domine pro animabus famulorum famularumque tuarum, et omnium hic quiescentibus: ut si quæ carnales maculæ in eis de terrenis contagiis inhæserunt, miserationis tuæ venia deleantur. Per Dominum etc. (2)

BASILICÆ LATERANENSIS ENCOMIUM.

LAteranensis Ecclesia, sicut Salvatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est electorum: ita Mater, et quidem apex, ac vertex est omnium per orbem Ecclesiarum ..... Habet autem altrin-

(1) Ex Sacramentario Gelasiano, et ex Cod. Basilicæ Liberianæ Sæc. XI. apud Thomasium.
(2) Ex eodem Sacrament. apud Thomasium.

secus Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli diversis quidem locis constitutas Ecclesias, sed sui compage Sacramenti; quia videlicet in quodam meditullio posita, quasi caput membris supereminet indifferenter unitas. His itaque tamquam expansis misericordiæ brachiis summa illa, et universalis Ecclesia omnem ambitum totius Orbis amplectitur. Omnes, qui salvari appetunt, in maternæ pietatis gremio confovet, et tuetur. Hac Jesus, summus videlicet Pontifex arce subnixus totam in orbe terrarum Ecclesiam suam in Sacramenti unitate confœderat, ut unus Sacerdos, una merito credatur Ecclesia (1).

Visitaturi Basilicam Lateranensem dicant septem Psalmos Poenitentiales.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

(1) S. Petrus Damiani Lib. 2. Epistola 1. ad Episcopos Lateran. Ecclesiæ Cardinales.

PSALMUS 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me : * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam, infirmus sum : * sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde:* sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui : * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectulum meum:* lacrimis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus :*inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem ; * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam : * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei :* convertantur, et erubescant valde velociter.

Gloria Patri, etc.

ORATIO.

EXauditor omnium Deus, exaudi nostrorum fletuum supplicem vocem; et tribue infirmitatibus nostris perpetem sospitatem, ut dum dignanter gemitum nostri laboris suscipis, tua nos semper misericordia consolèris. Per Dominum, etc. (1).

PSALMUS 31.

BEati, quorum remissæ sunt iniquitates :* et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum :* nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea :* dum clamarem tota die.

Quôniam die, ac nocte gravata est super me manus tua :* conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

(1) Ex Codice Vaticano apud Thomasium.

Delictum meum cognitum tibi feci : * et injustitiam meam non abscondi .

Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : * et tu remisisti impietatem peccati mei .

Pro hac orabit ad te omnis sanctus * in tempore opportuno .

Verumtamen in diluvio aquarum multarum,*ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me ;* exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac , qua gradieris :* firmabo super te oculos meos .

Nolite fieri sicut equus, et mulus,* quibus non est intellectus.

In camo , et fræno maxillas eorum constringe :* qui non approximant ad te .

Multa flagella peccatoris : * sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino , et exultate

justi : * et gloriamini omnes recti corde .

Gloria Patri , etc.

ORATIO .

TE Domine supplices deprecamur, ut obtectis per indulgentiam peccatis, nec reputatis ultra delictis , mereamur Sanctorum exultationis perpetuæ esse participes . Per Dominum etc. (1)

PSALMUS 37.

DOmine , ne in furore tua arguas me : * neque in ira tua corripias me .

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: * et confirmasti super me manum tuam .

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ : * non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum .

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : * et sicut onus grave gravatæ sunt super me .

Putruerunt , et corruptæ sunt cicatrices meæ , * a facie insipientiæ meæ .

(1) Ex Comment. S. Hieronymi in Psal.31.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem : * tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus : * et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis : * rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum : * et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : * et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei * adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt:* et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates :* et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non

audiebam :* et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens : * et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi:* tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi : Nequando supergaudeant mihi inimici mei : * et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum : * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo :* et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me : * et multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi : * quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus ; * ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum :* Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri, etc.

ORATIO.

EMitte salutare tuum infirmitatibus nostris, vulnerum cicatricumque mortalium potentissime medicator; ut omnem gemitum doloremque nostrum coram te deplorantes, valeamus evincere insultationes adversantium vitiorum. Per Dominum etc. (1)

Psalmus 50. Miserere, *ut supra pag.* 21.

ORATIO.

AGnoscentibus nobis iniquitates nostras, et propria tibi Domino pandentes piacula; ejulantes lacrymis, pectore verberato, supplices oramus, ut avertas a nostris sceleribus faciem tuam; et deleas quæ gessimus cuncta peccata: crea itaque Deus in cordibus nostris quod ames, et propitiatione solita dimitte quod odis: ac si te crebro ad irascendum nostra iniqua exasperant vitia; tua te nobis placabilem reddat indulgentia copiosa. Per misericordiam tuam Deus noster, qui es be-

(1) Ex Codice Vaticano apud Thomasium.

nedictus, et vivis, et omnia regis in soecula soeculorum. Amen (1).

PSALMUS 101.

DOmine exaudi orationem meam: * et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: * in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te,* velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: * et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum :* quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis :* factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi,* et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi ini-

(1) Ex Breviar. Mozarab. apud Thomasium.

mici mei : * et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, * et potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ et indignationis tuæ, * quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt : * et ego sicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes : * et memoriale tuum in generationem, et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus : * et terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum Domine : * et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion, * et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium : * et non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione al-

tera :* et populus, qui creabitur laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo : * Dominus de cœlo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum : * ut solveret filios interemptorum.

Ut annuncient in Sion nomen Domini : * et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum, * et reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ : * paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum ; * in generationem et generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti :* et opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes : * et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt : * et semen eorum in sœculum dirigetur .

Gloria Patri, etc.

ORATIO .

EXaudi Deus orationem nostram, et clamor noster ad te, remoto impedimento, perveniat: quacumque autem die te invocaverimus , velociter tibi nostra patescat oratio ; nec avertas faciem tuam a gemitibus ; nec gubernationem tuam a nostris cohibeas moribus , ut gratulemur adipisci postulata, dum ad te nostra pervenerint desideria. Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, et omnia regis in sœcula sœculorum. Amen (1).

Psalmus 129. De profundis , *ut supra pag.*64., *et infine hujus Psalmi dicitur*, Gloria Patri, etc.

ORATIO .

INtendant , quæsumus Domine , pietatis tuæ aures in orationem supplicum , quia apud te est propitiatio peccatorum , ut non observes

(1) Ex eodem.

iniquitates nostras, sed impertias nobis misericordias tuas. Per Dominum etc. (1)

PSALMUS 142.

DOmine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: * exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: * quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: * humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sœculi:* et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum; meditatus sum in omnibus operibus tuis:* in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te:* anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine: * defecit spiritus meus.

(1) Ex Codice Vaticano apud Thomasium.

Non avertas faciem tuam a me :* et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam :* quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem : * quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi : * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam:*et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam : * quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, etc.

Oratio.

Deprecantes Domine voce humili pietatem tuam exposcimus, ut adjuti a te, spe nostra portio-

nem cum electis tuis in terra viventium sortiamur. Per Dominum nostrum, etc. (1)

IN ATRIO
EJUSDEM BASILICAE

DICATUR

PSALMUS 83.

QUam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! * concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum, * Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium

(1) Ex Codice Vaticano apud Thomasium.

abs te, *ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus:* et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: * gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri, etc,

ORATIO.

PRotector in te sperantium Deus salva nos sub tuo famulatu de-

gentes : ut segregati a tabernaculis peccatorum digni efficiamur habitatores domus sanctæ tuæ. Per Dominum, etc. (1)

ALIA ORATIO.

DEus virtutum, cujus amabilia tabernacula, et speciosa sunt atria; in quorum ambitu et graditur sanctitas, et congaudet Divinitas; da animabus nostris illa attentius concupiscere, in quibus dies una melior super millia noscitur præfulgere: et illic, quæsumus, introducamur vel abjecti; dummodo non simus penitus exteri: ut, innovato corpore, sincera corda in te Deum vivum exultatione perpetua gaudeant, et laudem tuam dulci modulatione, ac pio famulatu per succedentia sœcula jucundantes persolvant. Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sœcula sœculorum. Amen (2).

(1) Apud Landulphum de Saxonia relat. a Thomasio.

(2) Ex Breviar. Mozarab. apud Thomasium.

Ad Aquam benedictam.

Antiph. Asperges. *Psal.* Miserere etc. *ut supra pag.* 21., *et seq.*

ORATIO.

CLamamus ad te, Domine, miserere nobis; sana animas nostras, quia peccavimus tibi; tuum est enim nostri misereri, et prorogare misericordiam; tuum est animæ vulneribus impendere curam, et in patefactis sceleribus debitam non exserere vindictam, nec condignam imposterum rependere pœnam; da humilitatem, quam placatus inspicias, et accipe confessionem, ut peccata dimittas. Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, et vivis, et omnia regis in sœcula sœculorum. Amen. (1)

ALIA ORATIO.

DEus, qui confitentium tibi corda purificas, et accusantes suas conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da indulgentiam reis, et medicinam tribue vulneratis, ut percepta remissione omnium pecca-

(1) Ex Breviar. Mozarab. apud Thomasium.

torum, sincera deinceps devotione permaneant, et nullum redemptionis æternæ sustineant detrimentum. Per Dominum, etc. (1)

Ad Altare Sanctissimi Sacramenti.

Symbolum Apost. Credo. Pater noster. Ave Maria. Gloria Patri. Pange lingua, *cum sua Antiphona, et Orationibus etc., ut supra pag.* 23. *et seq.*

Ad Altare Confessionis.

Lectio Epistolæ S. Joannis Apostoli.

I. Cap. 1. *vers.* 5.

HÆC est annunciatio, quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni pec-

(1) Ex Sacramentar. Gelasiano apud Thomasium.

cato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra; fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis, etc.

COMMEMORATIO S. JOANNIS BAPTISTÆ

HYMNUS.

NON fuit vasti spatium per Orbis
Sanctior quisquam genitus Joanne;
Qui nefas sæcli meruit lavantem
Tingere lymphis.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen (1).

Antiph. Hic est, de quo Salvator ait: inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.

℣. Ora pro nobis Beate Joannes.

(1) Ex Hymno Pauli Diaconi.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

DA quæsumus misericors Deus, ut mysticis Ecclesiæ tuæ B. Joannis Baptistæ exordiis, et sacris erudita præconiis ad iram venturi judicii declinandam dignos salutis fructus jugiter operetur. Per Dominum nostrum, etc. (1)

COMMEMORATIO S. JOANNIS EVANGELISTÆ

HYMNUS.

DE Patre Verbum prodiens,
De Matre corpus induens
Joannis testimonio
Hoc erat in principio.
Joannes virgo cæteris
Dilectior Apostolis.
Rogatus apud Ephesum
Conscripsit Evangelium.
Sancte Joannes optime
Absolve nostra crimina,
Ut mereamur liberi
Servire Summo Principi.
Præsta Beata Deitas

(1) Ex Sacrament. Gelas. apud Thomasium.

Indulge clemens Trinitas,
Ut tibi casto corpore
Famulemur omni tempore (1).

Antiph. Hic est Joannes, qui supra pectus Domini in Cœna recubuit, Beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia.

℣. Ora pro nobis Beate Joannes.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

BEati Evangelistæ Joannis nos Domine, quæsumus, merita prosequantur, et tuam nobis indulgentiam semper implorent. Per Dominum nostrum, etc. (2)

Ad Reliquias Sanctorum.

Antiph. Sancti etc. ℣. ℟. *Oratio* Deus etc. *ut supra*; *pag.*35.

In egressu Basilicæ dicatur
Canticum Zachariae. Luc.
Cap. 1. v. 68.

BEnedictus Dominus Deus Israel,* quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

(1) Ex Hymnario Ambrosiano apud Thom.
(2) Ex Missali Gothico apud Mabillonium.

Et erexit cornu salutis nobis : * in domo David pueri tui .

Sicut locutus est per os Sanctorum,*qui a sœculo sunt prophetarum ejus .

Salutem ex inimicis nostris,*et de manu omnium, qui oderunt nos .

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris : * et memorari testamenti sui sancti .

Jusjurandum , quod juravit ad Abraham patrem nostrum,* daturum se nobis .

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati ,* serviamus illi .

In sanctitate , et justitia coram ipso , * omnibus diebus nostris .

Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis : * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus .

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus : * in remissionem peccatorum eorum .

Per viscera misericordiæ Dei nostri: * in quibus visitavit nos, oriens ex alto .

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, etc.

ORATIO.

OMnipotens et misericors Deus, qui Beatum JoannemBaptistam, tua providentia, destinasti, ut perfectam plebem Christo Domino præpararet;da,quæsumus, ut familia tua, hujus intercessione Præconis, et a peccatis omnibus exuatur;et ad eum, quem prophetavit pervenire mereatur Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum.Qui tecum etc.(1)

Ad Imaginem Achyropetam prope Basilicam Lateranensem, si libuerit.

HYMNUS.

LUX alma, Jesu, mentium,
Dum corda nostra recreas,
Culpæ fugas caliginem,
Et nos reples dulcedine.
Quam lætus est quem visitas!
Consors paternæ dexteræ,

(1) Ex Sacramentario Gregoriano apud Hugonem Menardum, Pamelium, etc.

Te dulce lumen patriæ,
Carnis negatum sensibus.
Splendor paternæ gloriæ
Incomprehensa charitas
Nobis amoris copiam
Largire per præsentiam (1).

Antiph. Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.

℣. Speciosus forma præ filiis hominum.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis.

ORATIO.

ADesto Domine suplicationibus nostris, et populus tuus, qui te factore conditus, teque est reparatus authore, te etiam jugiter operante salvetur. Per Dominum, etc. (2)

(1) Ex Aurelio Prudentio, juxta correctionem Urbani VIII.

(2) Ex Sacrament. Gelasiano apud Thomasium.

BASILICÆ
S. MARIAE AD PRAESEPE
ENCOMIUM.

VIRGO MARIA tibi Xistus nova tecta dicavit,
Digna salutifero munera ventre tuo.
Tu Genitrix ignara viri: te denique fœta
Visceribus salvis edita nostra salus.
Ecce tui testes uteri sibi prœmia portant,
Sub pedibusque jacet passio cuique sua.
Ferrum, flamma, feræ fluvius, sævumque venenum
Tot tamen has mortes una corona manet. (1)

(1) *Vetus Inscriptio apud Gruterum.*

Visitaturi Basilicam S. Mariae ad Praesepe dicant per iter Litanias Sanctorum cum Precibus, et Orationibus.

Kyrie eleison .
Christe eleison .
Kyrie eleison .
Christe audi nos .
Christe exaudi nos .
Pater de cœlis Deus Miserere nobis .
Filii Redemptor Mundi Deus , Miserere nobis .
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus , Miserere nobis .
Sancta Maria, Ora pro nobis .
Sancta Dei Genitrix , ora.
Sancta Virgo Virginum , ora.
Sancte Michael , ora.
Sancte Gabriel , ora.
Sancte Raphael , ora.
Omnes sancti Angeli , et Archangeli, Orate pro nobis .
Omnes sancti beatorum Spirituum Ordines , orate.
Sancte Joannes Baptista , ora.

Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ, et Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli, et Evangelistæ, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane, et Sebastiane, orate.

Sancti Joannes, et Paule, orate.
Sancti Cosma, et Damiane, orate.
Sancti Gervasi, et Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes sancti Pontifices, et Confessores, orate.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Sacerdotes, et Levitæ, orate.
Omnes sancti Monachi, et Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.

Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctæ Virgines, et Viduæ, orate.
Omnes Sancti, et Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
Ab imminentibus periculis, libera.
A peste, fame, et bello, libera.
A flagello terræmotus, libera.
A subitanea, et improvisa morte, libera.
Ab insidiis diaboli, libera.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure, et tempestate, libera.
A morte perpetua, libera.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera.

Per adventum tuum, libera.

Per Nativitatem tuam, libera.

Per baptismum, et sanctum jejunium tuum, libera.

Per Crucem, et Passionem tuam, libera.

Per mortem, et sepulturam tuam, libera.

Per sanctam Resurrectionem tuam, libera.

Per admirabilem Ascensionem tuam, libera.

Per adventum Spiritus sancti Paraclyti, libera.

In die Judicii, libera.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas, te rog.

Ut nobis indulgeas, te rog.

Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rog.

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, et conservare digneris, te rog.

Ut Domnum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, te rog.

Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rog.

Ut Turcarum, et Hæreticorum conatus reprimere, et ad nihilum redigere digneris, te rog.

Ut Regibus, et Principibus Christianis pacem, et veram concordiam donare digneris, te rog.

Ut cuncto populo Christiano pacem, et unitatem largiri digneris, te rog.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, et conservare digneris, te rog.

Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rog.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rog.

Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rog.

Ut fructus terræ dare, et conservare digneris, te rog.

Ut omnibus Fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rog.

Ut nos exaudire digneris, te rog.

Fili Dei, te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

Deus, in adjutorium meum intende: * Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur, et revereantur* qui quærunt enimam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, et lætentur in te omnes, qui quærunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, et pauper sum:* Deus adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu: * Domine, ne moreris.

Gloria Patri, etc.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N.

℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen

℣. Oremus pro Fidelibus defunctis.
℟. Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Pro fratribus nostris absentibus.
℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEus, cui proprium est misereri semper, et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

EXaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis Indulgentiam tribuas benignus, et pacem.

INeffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer osten-

de : ut simul nos, et a peccatis omnibus exuas, et a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

DEus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

URE igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

FIdelium Deus omnium Conditor, et Redemptor, animabus

famulorum , famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum ; ut indulgentiam , quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur .

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni , et adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio , et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus , qui vivorum dominaris simul , et mortuorum , omniumque misereris , quos tuos fide , et opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus : ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sœculum adhuc in carne retinet , vel futurum jam exutos corpore suscepit , intercedentibus omnibus Sanctis tuis , pietatis tuæ clementia , omnium delictorum suorum veniam consequantur . Per Dominum nostrum, etc. Amen .

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad veniat .

℣. Exaudiat nos omnipotens, et misericors Dominus.
℟. Amen.
℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

IN ATRIO
EJUSDEM BASILICAE

DICATUR

Psalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylonis: * scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundavit eam Altissimus.

Dominus narrabit in scripturis

populorum, et principum: * horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium: * habitatio est in te.

Gloria Patri, etc.

ORATIO.

FUndamentum Fidei nostræ Deus, qui in mentibus sanctis tamquam in excelsis montibus æternitatis portas, justitia muniente, componis, concede nobis in te gloriose credere, teque ad redemptionem nostram hominem factum prædicabiliter confiteri. Per Dominum, etc. (1)

Ad Aquam benedictam.

Antiph. Asperges. *Psal.* 50. Miserere etc. *ut supra pag.* 21., *et seqq.*

ORATIO.

DEus justorum gloria, misericordia peccatorum da mihi famulo tuo plenam indulgentiæ veniam, et pœnitentiæ loco exoratus indulge: ut qui præterita peccata deploro, futura mala non sentiam, neque jam ulterius lugenda committam. Di-

(1) Ex Cod. Vatic. apud Thomasium, et Sacr. Gregoriano apud Menardum.

mitte mihi Domine omnia crimina, et in semitis me justitiæ placatus restaura, ut securus merear deinceps inter tuos benemeritos currere, et ad pacis æternæ prœmia pervenire: Per Dominum, etc. (1)

Ad Altare SS̃mi Sacramenti.

Symbolum Apost. Credo. Pater noster. Ave Maria. Gloria Patri. Pange lingua, *cum sua Antiphona, et Orationibus etc.*, *ut supra pag.* 23., *et seqq.*

Ad Altare SS. Praesepis.

Antiph. O magnum Mysterium, et admirabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepio!

℣. Verbum caro factum est.

℟. Et habitavit in nobis.

Oratio.

Omnipotens, ac piissime Deus, qui Unigenitum Filium tuum e cœli fastigio ad Præsepis humilitatem descendere voluisti, præsta: ut per hæc sacra Cunabula, in quibus

(1) Ex Sacramentario Gelasiano apud Thomasium.

pro nostra salute jacere dignatus est, requiem consequi mereamur sempiternam. Per eumdem, etc. (1)

Ad Altare Bmae Virginis Mariae. Dicantur Litaniae Lauretanae. Antiphona Salve Regina etc.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

DEus, cui proprium est misereri semper et parcere, intercedente Beata, et Gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, suscipe deprecationem nostram, ut quos delictorum catena constringit miseratio tuæ pietatis clementer absolvat (2).

ALIA ORATIO.

OMnipontens sempiterne Deus, qui terrenis Corporibus Unige-

(1) Ex Tabulario Basilicæ Liberianæ.

(2) Ex veteri Orationario apud Thomasium. Oratio hæc dicebatur cum Feria II. Rogationum fieret Collecta apud S. Mariam Majorem, et Statio ad S. Joannem in Laterano.

niti Filii tui per Venerabilem, et Gloriosam semper Virginem Mariam ineffabile Mysterium conjungere voluisti; petimus immensam clementiam tuam, ut remissionem omnium peccatorum nostrorum, quam in ejus veneratione deposcimus, te propitiante, consequi mereamur. Per Dominum etc. (1)

Vel dici poterunt, si libuerit, Antiphonæ, et Orationes propriæ de tempore.

Ad Altare Confessionis.

Lectio Jeremiæ Prophetæ.

Cap. 33. *v.* 5.

HÆC dicit Dominus: Obducam eis cicatricem, et sanitatem, et curabo eos: et revelabo illis deprecationem pacis, et veritatis. Et convertam conversionem Juda, et conversionem Jerusalem: et ædificabo eos sicut a principio. Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi: et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, et spreverunt

(1) Ex Codice Vaticano apud Thomasium.

me. Et erit mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus sum eis: et pavebunt et turbabuntur in universis bonis, et in omni pace, quam ego faciam eis. Hæc dicit Dominus: Adhuc audietur in loco isto ..... vox gaudii, et vox lætitiæ, vox sponsi, et vox sponsæ, vox dicentium: Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia ejus, et portantium vota in domum Domini: reducam enim convertionem terræ sicut a principio, dicit Dominus.

Oratio.

Tu Domine convertisti mihi pœnam in salutem; sicut Pastor bonus errantem sollicite quæsivisti: tamquam Pastor verus laborasti mecum, qui cecideram: alligasti me omnibus medicamentis vivificantibus: tu misisti ad me Prophetas: propter me infirmum dedisti mihi legis auxilium: tu administrasti mi-

hi salutem, at ego transgressus sum legem tuam, quæ est lumen verum, quod accendisti errantibus, et ignorantibus. Per Dominum, etc. (1)

COMMEMORATIO S. MATHIÆ APOSTOLI.

Cujus Corpus sub Ara maxima requiescit.

HYMNUS APOSTOLORUM.

Æterna Christi munera
  Apostolorum gloriam
  Palmas, et hymnos debitos
  Lætis canamus mentibus.
Ecclesiarum Principes
  Belli triumphales Duces.
  Cœlestis aulæ Milites,
  Et vera mundi lumina.
Devota Sanctorum Fides,
  Invicta Spes Credentium,
  Perfecta Christi Charitas,
  Mundi tyrannum conterit.
In his Paterna gloria,
  In his triumphat Filius,
  In his voluntas Spiritus,
  Cœlum repletur gaudio.

(1) Ex Liturgia, quæ attribuitur S. Gregorio Theologo apud Renaudotium.

Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit sit jugiter
Sœclum per omne gloria. Amen.

Antiph. Cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.

℣. Ora pro nobis Beate Mathia.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

PErcipiat, Domine, quæsumus, Populus tuus, intercedente Beato Mathia Apostolo tuo, misericordiam, quam deposcit, et quam precatur, humiliter indulgentiam consequatur, et gloriam. Per Dominum nostrum, etc. (1)

Ad Reliquias Sanctorum.

Antiph. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum.

℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.

℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

(1) Ex veteri Orationario apud Thomasium.

ORATIO.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercessio Sanctorum, quorum Reliquiæ hic sunt, et omnium electorum tuorum nos ubique lætificet, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum, etc.

In egressu Basilicæ dicatur
Canticum B. M. V.

Lucæ 1.

MAgnificat * anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, * et exaltavit humiles.

* Esurientes implevit bonis : * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum,* recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham, et semini ejus in sæcula. Gloria Patri etc.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam in Abrahæ semine,in omnibus gentibus hæreditariam esse fecisti, concede propitius, ut te anima nostra sedulo magnificet, et spiritus noster in tuo salutari semper exultet. Per Dominum, etc. (1)

ALIA ORATIO.

MAgnificat ecce te, Domine, Redemptorem nostrum Beatæ Genetricis voce omnis conventus Ecclesiæ, quia respexisti humilitatem ancillæ tuæ, cum te, et Virgo sancta concepit, et Ecclesia credendo cognovit; cum de illa prodideris, et istam redimeres; cum illam

(1) Ex Codice Chisiano Sæculi XI. apud Thomasium.

Beatam dicunt omnes Gentes, in ista beatificentur populorum omnium nationes: suscipe ergo Domine Israel populum tuum, memor misericordiæ tuæ, qui locutus es Patribus nostris, ut complementum sit divinæ promissionis totius mundi redemptio singularis. Per misericordiam tuam, etc. (1)

Expleta Basilicarum visitatione dicatur.

HYMNUS.

Te Deum laudamus, etc.

ORATIO.

Deus, qui nos gloriosis remediis in terris adhuc positos jam cœlestium rerum facis esse consortes, tu, quæsumus, ut ista, qua vivimus, vita guberna, ut ad illam, in qua ipse es, lucem perducas. Per Dominum nostrum, etc. (2)

EXPLICIT. LAUS DEO.

(1) Ex Breviario Mozarab. apud Thomasium.

(2) Ex Codice Vaticano, et Sacramentario Gelesiano apud Thomasium.

Magis satagite , ut per bona opera certam vestram vocationem , et electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando . Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini Nostri , et Salvatoris Jesu Christi .

2. Petri Cap. 1. v. 10., et 11.

REIMPRIMATUR

Si videbitur Rmo P. Sacr. Palat. Ap. Magistro.
J. Patriarch. Constant. Vicesg.

NIHIL OBSTAT
Aloysius Gardellini S. R. C. Asses.

REIMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza O. P.
S. Th. M., et Rmi S. P. A. Mag. Soc.